



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

CLVI. Markgraf Ludwig der Römer bestätigt das Domstift Stendal in
seinem Besitzungen und Rechten, am 6. Sept. 1354.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

CLVI. Markgraf Ludwig der Römer bestätigt das Domstift Stendal in seinen Besitzungen und Rechten, am 6. Sept. 1354.

— nos Ludowicus Romanus, dei gratia Marchio Brandenburgensis et Lusatiae —
 Ex certa scientia, omnes donationes gratias libertates litteras et privilegia omnia et singula, Honorabilibus viris . . . preposito . . . Decano Capitulo et Ecclesie collegiate sancti Nicolai in Stendal, indultas et indulta, ab Illustribus principibus Marchionibus Brandenburgensibus predecessoribus nostris dive recordationis, et precipue a fratre nostro karissimo, domino Ludowico seniore, Ratificamus approbamus et tenore presentis littere confirmamus. Volentes eos et ea in sui roboris firmitate jugiter permanere. Mandamus igitur omnibus officialibus nostris et terre equitatoribus, nostre gratie firmiter suboptentu, ut nullus eorum presentium, seu qui pro tempore fuerint, contra presentem nostram confirmationem venire debeat, audeat aliquid aut presumat. Si quis vero vel qui ausu temerario, contra ipsam presentem nostram confirmationem venirent, clam vel aperte, ipsis injuriam inferendo, et si hunc vel hos ad forum ecclesiasticum, pro illa injuria in iudicium traxerint, et eis antea requisiti ordinare de illa injuria non poterimus iustitiam vel amorem, tunc contra injuriatores eorum, ordine juris ecclesiastico procedendo agere poterunt licite, de nostra sententia speciali. In cujus rei etc. Presentibus nobili viro Ottone went domino in Ileburgh, strennisque viris Petro de Breidow, Johanne de Wantsleven, Buffone de Arxfleven, Gumperto de Aldenhufen, Johanne pincerna de Vlechtingen, militibus, Henrico de Schulenborch et Nycolao Bismark, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Stendal, Anno domini Millesimo Tricentesimo Quinquagesimo quarto, feria sexta ante festum Nativitatis beate Marie virginis gloriose.

CLVII. Entscheidung eines Streites mehrerer Respectivirter über ihre Anciennität zum Eintritte in das Domstift, vom 12. Sept. 1354.

— Nos Conradus, dei gracia . . . prepositus, Johannes decanus Totumque Stendalensis Ecclesie Capitulum recognoscimus, — Quod suborta quadam dissensione in Ecclesia nostra inter quosdam nostros Concanonicos, videlicet dominum Conradum de Luderitz nec non Johannem marscalecum filium quondam Bartoldi marscalci militis ac quorundam eorum sequaces, quis ipsorum ad quandam prebendam, que dicitur ianuararia, per quam ascenditur ad medias, esset alteri secundum gradum sue receptionis in canonicum preferendus. Super qua contentione pluribus habitis capitularibus tractatibus, tandem partes ipse prehabitis deliberacionibus sponte et voluntarie vna cum dominis de nostro Capitulo in nos . . . prepositum . . . decanum, Conradum de buch prepositum in Sehufen et Johannem de Rokitz concanonicos nostros compromiserunt ita, quod quicquid per nos super premissis contencionibus seu erroribus declarabimus, statuemus et ordinabimus partes ipse vna cum suis sequacibus gratum et ratum perpetuo obseruabunt. Nos vero nobiscum et cum aliis prehabito consilio diligenti secundum deum et iusticiam ac consuetudinem Ecclesie nostre antiquitus obseruatam et prescriptam ad disbrigandum errorem supradictum declaramus statuimus et ordinamus dominum Conradum de Luderitz predictum ad prefatam prebendam ianuariariam secundum gradum sue receptionis in canonicum fore preferendum, post ipsum vero dominum Johannem de Monasterio, Tercio Johannem Marscalci prelibatum, Quarto dominum Albertum de buzt, Quinto dominum Bernardum de